

dulgentias vivis, quidam & defunctis (licet diverso modo, ut mox dicam) cum sint ejusdem corporis membra? Unde Auctor loco cit. in margine, *Non est, inquit, aliqua ratio, quare Ecclesia possit transferre communia merita, quibus Indulgentia imituntur, in vivos, & non mortuis.* Prob. 2. ex usu, & Traditione Ecclesie. Paschalis I. in eodem saeculo 9. ut refert Gabriel Lect. 57. in Canonem Missae, concessit indulgentiam pro Defunctis, quae habetur in Ecclesia S. Praxedis. Similiter Sixtus IV. & Innocentius VIII. teste eodem, concesserunt indulgentias pro Defunctis. Frequenter postea idem concesserunt summ. Pontifices. Consentiant antiqui Theologi, S. Thom. S. Bonav. Richardus, &c.

Dixi: *Si sic exprimat in Diplomate concessionis:* Quia nullus privatus potest alteri sive vivo, sive Defuncto applicare indulgentiam, nisi ex concessione summ. Pontificis; quia ipse solus est dispensator thesauri Ecclesie, cui imituntur indulgentiae. Unde, nec id potest Episcopus.

Dices. Potestas concedendi indulgentias fundatur in his Christi verbis Petro Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram, &c.* Et in his Joann. 21. *Pasce oves meas;* atqui neutrum verificari potest de animabus in Purgatorio: non enim sunt super terram, neque oves commissae Pontifici: ergo. R. D. Ant. Potestas concedendi indulgentiam vivis per modum iudicialis absolutionis fundatur in his verbis Christi: *Quodcumque, &c.* C. Potestas concedendi indulgentiam Defunctis per modum suffragii, & simplicis solutionis oblatæ, ut mox dicemus, N. fundatur enim hæc potestas in communione membrorum unius corporis Mystici, & in usu Ecclesie. Neque etiam obstat cap. *Quod autem de Penit. & Remiss.* ubi dicitur, indulgentias non remitti nisi iis, qui subsunt remittenti; ibi enim agitur de indulgentiis concessis vivis per modum absolutionis, non defunctis per modum suffragii. Unde.

Petes 2. Quomodo applicentur, & prosunt indulgentiæ Defunctis? R. non applicari, nec prodesse per modum absolutionis, sed, ut communiter dicitur, per modum suffragii. Prob. 1. pars. Quia summ. Pontifex non habet amplius iudicialiam potestatem in Defunctis c. 1. cap. *Legatur, & cap. Nec quisquam 24. q. 2.* Et patet, quia summ. Pontifex non potest citare Defunctos, eorum causas cognoscere, nec eos cogere ad obediendum. Item non habet potestatem iudicialiam, nisi in oves, quas in persona Petri suscepit pascendas, Joann. 21. Defuncti autem non possunt amplius pasci a summo Pontifice. Unde summ. Pontifices, cum extendunt indulgentias ad Defunctos, semper appointunt particulam *per modum suffragii:* ergo.

Dices 1. Ecclesia excommunicat, & absolvit ab Excommunicatione Defunctos. 2. In his verbis: *Quodcumque solveris super terram, &c.* Tò *super terram,* non refertur ad eos, qui solvuntur, sed ad eum, qui solvit; ita ut sensus sit: Quodcumque solveris tu, qui es super terram, erit solutum a me, qui sum in caelis. 3. Defuncti sunt adhuc viatores: ergo & oves. 4. Episcopus, qui confert Beneficium Clerico non sibi subdito exercet actum Jurisdictionis, & collatio est valida: ergo similiter. R. ad 1. Excommunicationem, & absolutionem ab Excommunicatione in mortuos non esse propriè Excommunicationem, & absolutionem, sed declarationem sententiæ, quam subire debuissent, dum viverent, & concessionem quamdam factam fidelibus, ut pro ipsis offerant suffragia, aut prohibitionem offerendi. Ad 2. Gelasius Papa Can. *Legatur 24. q. 2.* refert Tò *Super terram* ad eos, qui solvuntur; sed esto referatur ad eum, qui solvit, debet semper intelligi circa eos, qui ipsi subdantur, alias posset solvere & beatos, & damnatos. Ad 3. Defuncti in Purgatorio sunt viatores secundum quid, quatenus nondum adepti sunt terminum; & idèd possunt juvari a viventibus. At non sunt idèd oves visibiles, quales Petrus pascendas suscepit, cum eis nec Doctrinæ pabulum præbere possit. Ad 4. Episcopus exercet actum jurisdictionis in Beneficium, non in Clericum extraneum. Similiter summ. Pontifex exercet actum jurisdictionis in thesaurum Ecclesie non in ipsos Defunctos. Valet autem collatio; quia ad hoc non requiritur potestas iudicialia, & contentiosa, qualis requiritur ad absolutionem a peccatis,

quam supremus Princeps imposuit.

Restat itaque, quod indulgentiæ applicentur, & prosint Defunctis per modum suffragii, & auxilii, quæ est 2. Pars Responsionis. Quod ut intelligas, distingue triplex suffragium, seu auxilium, unum meritorium, alterum impetratorium, tertium satisfactorium; & hoc ultimum hic intelligitur. Unde applicare indulgentias Defunctis per modum suffragii est offerre Deo satisfactiones Christi, & SS. in solutionem, seu compensationem peccatorum, quas debent pati in Purgatorio.

Petes 3. Utrum Deus tenetur ex justitia, seu certa lege acceptare indulgentias applicatas Defunctis? R. Negativè, quia ad hoc nullibi se obligavit. Iudex autem supremus non tenetur acceptare commutationem poenæ sibi debiti, nisi ad id promissione se obligaverit. Neque obstat promissio Matth. 16. *Quodcumque solveris, &c.* Hæc enim spectat vivos dumtaxat, quibus applicatur indulgentiæ per modum absolutionis. Grauitò ergo, & misericorditèr acceptat Deus Indulgentias applicatas Defunctis: ea tamen acceptatione posita intervenit justitia, quia satisfactiones de thesauro Ecclesie sunt justa compensatio, & de condigno poenarum, quas defuncti pati debent in Purgatorio. Hinc interest, saltem probabilis, indulgentias applicatas defunctis non semper habere certum, & infallibilem effectum; cum enim Deus ex mera misericordia, & liberitate acceptet, non constat eum illas semper acceptare sive in toto, sive in parte. Et hic est sensus communis fidelium, qui, applicata indulgentia plenaria alicui defuncto, puta, sacrificium in Altari privilegio, nihilominus pro illo offerre alia sacrificia, & orationes pergunt.

Dices 1. S. Thom. hic q. 71. art. 10. o. probat, Pontificem non posse pro arbitrio animas a Purgatorio liberare; non quia indulgentiæ illis applicatæ non infallibilitèr illis prosunt, sed quia Pontifex non potest eas illis applicare sine causa conventienti. R. S. Doctorem attulisse rationem sufficientem ad probandum, quod intendebat; sed unam asserendo, non negavit alteram, nec erat necesse, quod utramque efferret.

Inst. Q. 25. art. 2. nullam facit distinctionem quantum ad efficaciam indulgentiæ, vivis, & defunctis concessæ. R. S. Thom. ibi mentionem non facere de indulgentiis concessis Defunctis, de quibus agit tantum q. 61. Quapropter 1. loco intelligendus est de indulgentiis vivorum tantum.

Dices 2. Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant; sonant autem liberationem animæ. R. id esse verum de indulgentiis concessis viventibus per modum absolutionis.

Inferes. Ergo summ. Pontifex decipit fideles. R. N. illationem; sed Pontifex concedit quantum potest, supposita acceptatione divina.

Dices 3. Oratio Ecclesie, positus omnibus requisitis, semper exauditur. R. 1. D. Si ita congruat consiliis divinæ Providentiæ, C. secus, N. Indulgentiæ non applicantur Defunctis per modum orationis, sed per modum solutionis.

Petes 4. An indulgentiæ applicatæ uni, vel aliquibus personis determinatis, prosint omnibus? R. omnibus prodesse quoad consolationem, & gaudium quoddam accidentale, quod charitate uniti concipiunt de bonis aliorum, ac si essent proprii. Quoad satisfactionem autem, & liberationem a poena prosunt tantum illis, quibus applicantur. Hic est sensus fidelium, & natura satisfactionis, ut pro uno facta illi specialitèr prosit, & non alteri. Quod si ille, cui applicatur, non indigeat, Deus applicat alteri, vel redit in thesaurum Ecclesie.

Petes 5. Utrum, qui lucratur indulgentias pro Defunctis, debeat esse in statu gratiæ? R. Si opus junctum requirat statum gratiæ, ut Confessio, Communio, ad illum tenetur. Si autem opus junctum non requirat statum gratiæ, non videtur ad illum teneri; quia ipse non percipit fructum indulgentiæ, seu remissionem poenæ, sed alter. Neque dicas, ipsum non posse indulgentiam alteri applicare, nisi prius eam faciat suam; facit enim suam non accipiendo ejus effectum, sed potestatem eam alteri applicandi, ad quod non requiritur status gratiæ, sicut nec in concedente indulgentiam.

TRACTATUS DE EXTREMA-UNCTIONE.

D. Thom. Suppl. a Q. 29. ad Q. 34.

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE EXTREMA-UNCTIONE

EX CONCILIIIS, FLORENTINO, ET TRIDENTINO.

Decretum Concilii Florentini pro Instructione Armenorum (Sub Eugenio IV. anno 1439. Ex S. Thom. opusc. 5.)

Canones Concilii Tridentini (Sess. 14. 25. Novembris 1551. sub Julio III.) de Extrema-Untione.

Quintum Sacramentum est Extrema-Untio; cujus materia est oleum olivæ per Episcopum benedictum. Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet: qui in his locis unguendus est, in oculis propitèr visum, in auribus propitèr auditum, in naribus propitèr odoratum, in ore propitèr gustum, vel locutionem, in manibus propitèr tactum, in pedibus propitèr gressum, in renibus propitèr delectationem ibidem vigentem. Forma hujus Sacramenti est hæc: *Per istam Untionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti pro visum, &c.* Et similiter in aliis membris. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos. Effectus verò est mentis sanatio, & in quantum autem expedit, ipsius etiã corporis. De hoc Sacramento, inquit beatus Jacobus Apostolus: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesie, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.*

I. **S**i quis dixerit, Extremam-Untionem non esse verè & propriè Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, & a beato Jacobo Apostolo promulgatum; sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut signum humanum; anathema sit.

II. **S**i quis dixerit, sacram infirmorum Untionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curatio; anathema sit.

III. **S**i quis dixerit, Extremæ-Untionis ritum & usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ B. Jacobi Apostoli, idèdque eum mutandum; posseque a Christianis absque peccato contemni; anathema sit.

IV. **S**i quis dixerit, Presbyteros Ecclesie, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum unguendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed etate seniores, in quavis communitate; ob idque proprium Extremæ-Untionis Ministrum non esse solum Sacerdotem; anathema sit.

DISSERTATIO UNICA.

COMPLECTENS OMNIA, QUÆ HOC SACRAMENTUM SPECTANT.

Multæ sunt Untiones in Ecclesia. Prima est Baptizandum, seu Catechumenorum in pectore & scapulis. Secunda est Baptizandum in vertice. Tertia est Confirmandum in fronte. Quarta est Sacerdotum in manibus, dum ordinantur; & Episcoporum in manibus, & in capite. Quinta in altaris, Ecclesie, & Calicis consecratione. Sexta, & ultima Infirmorum, in partibus quinque sensuum exteriorum; & idèd dicta *Extrema-Untio*.

Variis nominibus insignitur hoc Sacramentum. Apud Latinos dicitur *Sacramentum exeuntium, Untio sacri olei, communiter, Extrema-Untio.* Apud Græcos, *Sanctum oleum, Oratio Untionis olei conjuncta.* Definiri potest: *Sacramentum unctiois Infirmorum, ad salutem anime & corporis facta per Sacerdotem sub certa verborum forma.* Patebit ex dicendis.

ARTICULUS I.

Utrum Extrema-Untio sit Sacramentum?

Bellarminus & quidam alii, post Guidonem Carmelitam, & Aeneam Sylvium, inter Hæreticos negantes Sacramentum Extremæ-Untionis recentent Valdenses & Vicleistas. At, juxta illustrissimum Bossuetum in Historia Variationum, Gasparum Jucium, & alios, hi non negarunt, sed contempserunt dumtaxat hoc Sacramentum, eò quod tunc quidam Presbyteri ex avaritia illud non nisi divitibus, aut mediante pretio, administrarent. Sed, quidquid sit de istis, certò constat, Lutheranos, & Calvinistas negare Extremam-Untionem esse Sacramentum, eoque contendere, Untionem, de qua Marci 6. & Jacobi 5. nihil aliud operatum fuisse, quam corporis sanitatem; & eam, cessante in primitiva Ecclesia gratia curacionum, exolevisse. Unde Calvinus l. 4. instit. c. 19. vocat Extremam-Untionem Sacramentum fictitium, & histronicam hypocrisis; contra quos

Dico. (Suppl. q. 29. art. 1. o.) Extrema-Untio est verè & propriè novæ Legis Sacramentum. Prob. 1. (Ib. & in a. s. c.) Ex Scriptura. Jacobi 5. dicitur: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesie, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit remittentur ei;* atqui in his verbis habemus signum sensibile gratiæ a Christo permanentè institutum: ergo verè & propriè dictum Sacramentum. Prob. Min. Untio & Oratio per Presbyterum sunt signum sensibile, utique materia & forma hujus Sacramenti; gratia designatur his verbis: *Salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Institutio permanens, etsi non exprimitur, apertè colligitur; partim quia mandatum Jacobi dirigitur non ad unam Ecclesiam, nec pro aliquo tempore, sed ad omnes Ecclesias sine ulla limitatione locorum, aut temporum, consequenter ad nos nunc non minus quam ad eos, qui tunc erant; sicut alia, quæ ibidèd præscribit & præfert, ut, *Patientes estote; nolite jurare; tristatur quis ex vobis, oret; orate pro invicem, ut salvemini, &c.* quæ spectant omnia tempora, & omnes fideles præsentis & futurorum: partim quia ab Apostolorum tempore hæc institutio semper fuit in Ecclesia observata, ut mox dicemus. Quid huic auctoritati respondeant Hæretici, exponemus & diluemus in sol. Object.

Non pauci conclusionem probant ex c. 6. Marci, ubi dicitur de Apostolis: *Et ungebant oleo multos ægros, & sanabant;* contenduntque eo loci agi de Untione, de qua Jacobi 5. & esse sacramentalem. Ità Alphonsus a Castro, Thomas Valdensis, Maldonatus, Catarinus, & alii. Hanc sententiam multis argumentis etiã ab auctoritate quorundam Patrum, & Scholæ principum S. Thom. Bonav. Scoti, Hugonis Vict. ut probabilem propugnat novissimus, & eruditissimus Scriptor Laurentius Berti, non ingrèdè legendus. Communior tamè Sententia est, has unctiones esse distinctas, & eam, de qua Marci 6. esse tantum ad sanitatem corporum, atque adèd non esse sacra-

cramentalem. 1. Quia in illa unctione Marci 6. nulla fit mentio collationis gratiæ, sed sanitatis corporalis dumtaxat. 2. Quia hæc unctio adhibebatur indifferenter sive infirmis decumbentibus, sive aliis, ut cæcis & claudis, sive baptizatis, sive non. Matth. enim 10. dictum erat generaliter Apostolis, nulla facta restrictione: *Infirmos curate*; & ex Marci 6. constat, multos fuisse unctos & sanatos, cum tamen tunc pauci adhuc essent baptizati. 3. Quia Apostoli nondum erant tunc Sacerdotes; & quamvis Christus in hoc potuerit dispensare, hujus tamen dispensationis nulla apparet ratio. Ita Bellarm. Soto, Estius, Sylvius, Jansenius, A Lapide, Gonet, Tournely, & alii Recentiores; juxta quos ea unctio Marci 6. unctionem sacramentalem insinuavit & adumbravit, ab hacque distinguitur ut signum a re signata, & figura a re figurata. Hancque sententiam videtur adoptasse Concilium Trid. sess. 14. cap. 1. ubi dicit, hoc Sacramentum a Christo institutum esse, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum. . . commendatum & promulgatum. Scio, To insinuatum explicari a laudato Berti per inductum & institutum; verum, juxta Calepinum, insinuat est in notitiam aliejus adducere, non inducere, aut instituire. Unctio autem Marci adducit unctionem Jacobi, seu Sacramentalem in notitiam, quatenus est ejus signum, umbra, & figura, sicut Baptismus Christi fuit insinuat a Baptismo Joannis, quatenus iste prioris fuit signum & figura.

Prob. 2. Conclusio Traditione. Origines inente 3. seculo Hom. 2. in Levit. ait. *Est adhuc septima licet dura & laboriosa per penitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lachrymis stratum suum, sunt ei lachryme panes die, ac nocte, & non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum. In quo completur & illud, quod Apostolus dicit: si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesie, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Dicit, in quo completur scilicet Sacramentum Extreme-Unionis; quia istud Sacramentum semper habitum fuit ut complementum & consummatio Sacramenti Penitentiae, ut dicit Trid. Sess. 14. in proœmio ad Sacramentum Extreme-Unionis, sicut Confirmatio est complementum Baptismi. Chrysostomus circa ann. 382. l. 3. de Sacerdotio, loquens de Sacerdotibus dicit: *Neque enim solum cum nos regenerant, sed postea etiam condonacionum facultatem obtineant. Infirmatur, inquit, inter vos aliquis? Accersat Presbyteros Ecclesie, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & obsecratio fidei saluum reddet laborantem, & eriget eum Dominus; & si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Ubi apertum est, S. Doctorem loqui de unctione, de qua Jacobus. Innocentius I. ann. 416. interrogatus a Decentio Eusebio Episcopo de quibusdam duobus circa hoc Sacramentum, respondet 1. hæc verba Jacobi *Infirmatur quis in vobis?* &c. esse intelligenda de fidelibus agrotantibus. 2. Hanc unctionem & ab Episcopis & a Presbyteris fieri posse. 3. Fideles Laicos etiam potuisse in suis & aliorum infirmitatibus isto oleo, ab Episcopo benedicto, uti, non ut Sacramento, sed ut ritu Christiano, secundum morem hujus temporis, sicut enim tunc fideles ad morbos curandos adhibebant aquam baptismalem, & ita oleum ab Episcopo benedictum. 4. Hanc unctionem ab Episcopo, aut Presbytero administratam esse Sacramentum, quod non debebat concedi penitentibus publicis, quibus cætera Sacramenta denegabantur. Ecce ejus verba: *Non est dubium de fidelibus agrotantibus* (hoc, quod dicit Jacobus) accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo *Christiatis* perungi possunt, quo, ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua, ac suorum necessitate inungendo. Cæterum illud superfluum videmus obiectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non est dubium. Nam *dictum de Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum, si Episcopus aut potest, aut dignum ducit, aliquem a se visitandum & benedicere & tangere Christum, sine cunctatione potest, cujus est ipsum Christum conficere.* Nam penitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti: nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi? Neque ex hoc quod dicit *oleo Christiatis, vel Christate*, quibusquam patet ipsum loqui de Confirmatione; de ea enim prius locutus fuerat, dixeratque illam omnibus baptizatis etiam pueris administrari a solis Pontificibus, non a Presbyteris, qui Pontificatus apicem non habent. Quamvis itaque in usu Ecclesie christa, strictissime sumptum, accipitur pro composito ex oleo & balsamo, attamen apud veteres etiam sumitur aliquando pro unctione olei, sive simplicis, sive compositi, christam enim generaliter significat unguere, & christa unguentum quodcumque; paulo strictius significat unguentum ab Episcopo benedictum, quo sensu illud usurpat Innocentius.

Ang. Serm. 215. de tempore, seu Casarius; Quoties, inquit, aliqua infirmitas supervenerit, Corpus & Sanguinem Chris-

ti, ille, qui agrotat, accipiat, & inde corpusculum suum ungat (id est, ungi core) ut illud quod scriptum est impleatur in 10. Infirmatur aliquis, &c. Et in Speculo, inter ea, quæ præcipit novum Testamentum, recenset verba Jacobi: *Infirmatur quis in vobis*, &c. S. Gregorius in Sacramentario prescribit modum administrandi hoc Sacramentum: inter Pontificale Romanum. Synodus Cabilonensis ann. 813. Can. 48. dicit: *Secundum B. Jacobi documentum, cui etiam decreta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopo benedicitur, a Presbyteris ungi debent. Non est itaque parvipendenda hujusmodi medicina, quæ anime corporisque medetur languoribus.* Similiter Moguntina ann. 847. cap. 86. Aquisgranensis ann. 856. cap. 4. & alie sequæculis Concilium Constant. ann. 1414. mandat, ut redeuntes ab hæresi interrogentur, num credant, quod Christianus, continentem susceptionem Sacramentorum Confirmationis & Extreme-Unionis, peccet mortaliter? Concilium Florent. in Decreto unionis anr. 1439. inter Sacramenta recenset Extremam Unionem. Trid. Sess. 14. tribus capitibus explicat institutionem, materiam, formam, effectum, & ministerium hujus Sacramenti, & quatuor Canonibus dogma Catholicum asserit. Primus est: *Si quis dixerit, Extremam Unionem non esse verè & propriè Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, & a B. Jacobo Apostolo promulgatum; sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.* Vide alios Canones supra.

Confirm. ex consensu utriusque Ecclesie Græcæ & Latine: De Latina constat: pariter de Græca ex Eulogio Patriæ Goar, ex Censura Jeremie Patriarchæ Constantinop. adversus Vittenbergenses, & pluribus aliis. Qui autem fieri potuit, ut tot Patres, tot Synodi, & omnes Ecclesie in unum signenturum & cæremioniam historicam, tanquam in verum Sacramentum consentiant, nullo reclamante?

Suadetur ratiõne. (Ibid. in a. s. c.) Christus instituit Sacramenta, ut fidelibus subveniret pro quovis tempore, & secundum quemvis statum. Sic in ingressu Ecclesie est Baptismus; in progressu & decursu vite Confirmatio, Eucharistia, Penitentia, &c. ergo & in exitu, in quo adversarius noster omnes suæ veritatis nervos ad nos perdendos intendit. Non est autem aliud, quam Extrema-Unctio, quæ idè dicitur Sacramentum exeuntium. Hanc rationem fecit suam Trid. Sess. 14. in Proœmio ad Sacramentum Extreme-Unionis.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. cum Hæreticis, Epistola Jacobi non est Canonica: ergo R. N. Ant. Hanc enim pro Canonica habet utraque Ecclesia, Græca & Latina. De Græca constat ex Origine hom. 3. in Exod. ex Cyrillo Jerosol. Catechesi 4. S. Athanasio in Ep. Paschali, Gregorio Nazian. Carm. 33. & aliis. De Ecclesia Latina pariter constat ex Clemente Rom. Ep. ad Corinthios, ex Innocentio I. ad Exuperium & Decentium, ex Gelasio in Synodo Rom. ex Ambrosio in Ps. 118. Hieron. adversus Jovin. Aug. l. de fide & operibus c. 14. ex Concilio Carthag. Aurasiano c. & aliis. Si illi fidem detrectent Hæretici, dicant, undè sciunt alios novi testamenti libros, quos admittunt, esse Canonicos?

Obj. Illa unctio, de qua Jacobus, erat tantum cæremonia ad sanandos morbos corporales, quæ, cessante in Ecclesia dono miraculorum, cessavit: ergo. Prob. Ant. 1. Quia eadem erat unctio, ac ea, de qua Marcus 6. ut tenent plures Catholici; atque hæc erat tantum ad sanandos morbos corporales, ut etiam docent plures Catholici, & nos supra: ergo. 2. Quia id indicant verba textus; dicit enim Jacobus: *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus*: ergo. R. N. Ant. 1. Quia Jacobus loquitur tantum de fidelibus infirmis, Epistolam enim dirigit ad Ecclesias; donum autem miraculorum erat potius pro infidelibus, quam pro fidelibus, juxta illud 1. ad Cor. 14. *Lingue in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus.* 2. Inbet vocari Presbyteros; ad sanandum autem corporaliter vocandi sunt medici, vel ii, qui habent donum curationum, quod non erat datum omnibus & solis Presbyteris. 3. Gratia curationum erat data non solum pro infirmis decumbentibus, sed etiam pro cæcis, claudis, &c. Jacobus autem loquitur de illi, qui ex infirmitate decumbunt. 4. Jacobus expressit effectus ad solam animam pertinentes, *Si in peccatis sit, remittentur ei.* Quod autem addit obiecto, hanc unctionem fuisse temporaneam, & cessasse, cessante gratia curationum; probavimus supra, hoc Jacobi mandatum, sicut alia, quæ ibidem tradit omnibus Ecclesiis, esse absoluta absque limitatione temporum, locorum, & personarum. Insuper falsum est, gratiam curationum etiam per olei unctionem cessasse in Ecclesia statim post Apostolos, ut constat ex Tertulliano in Scorpiaco sub initio, ex S. Hieron. in vita S. Hilariõis, ex Aug. l. 21. de civit. ex Theodoro in historia Religiosa, ex Severo Sulpitio in vita S. Martini c. 15. & aliis,

aliis, qui referunt curationes miraculosas factas unctione olei.

Ad 1. probationem, juxta communiorum sententiam, ut vidimus, negandum est Ant. Sed, eo dato, nihil obtinet hæretici, quia Theologi Catholici, qui defendunt identitatem utriusque unctionis, contendunt, utramque esse Sacramentalem: & idè in hac sententia neganda est Min. Ad 2. probationem. Estò per hæc verba, *Alleviabit eum Dominus*, significetur sanitas corporalis, ibi non sistit Apostolus, sed etiam exprimit disertè sanitatem spiritualem, cum dicit, *Et si in peccatis sit, remittentur ei*; sed & falsum est his verbis, *Alleviabit eum Dominus*, non significari sanitatem animæ. Quamvis enim vox Græca, quam Latinus interpret verit per *Alleviabit*, idè optime intelligitur de anima, quam gratia Sacramentalis ab angustia & anxietate, quam patitur homo proximè moriturus, erigit & relevat; non enim ad corpus pertinet istud Ephes. 5. *Surge, qui dormis*, neque istud Rom. 13. *Hora est jam, nos de somno surge*, & similia. Insuper, si hæc verba, *Oratio fidei salvabit infirmum*, intelligantur de sanitate corporali, ut quid idem immediate repetisset Apostolus?

Inst. 1. Sacramenta operantur suum effectum ex opere operato; atque Jacobus tribuit remissionem peccatorum operi operanti, scilicet fidei ministri & suscipientis; *Oratio fidei, inquit, salvabit infirmum*: ergo. R. N. Min. Per orationem fidei enim Apostolus non intelligit fidem ministri, sur suscipientis, sed ipsam formam Sacramentalem, quæ dicitur *Oratio fidei*; tum quia in fide totius Ecclesie Sacramentum administratur & operatur: tum quia sola fide intelligitur: quo sensu Aug. Tract. 80. in Joann. dixit, verbum fidei operari in Baptismo, non quia dicitur, sed quia creditur.

Inst. 2. Sacramenta absolute, & non conditionatè, operantur suum effectum; atque unctioni Jacobæ effectus non promittitur absolute, sed conditionatè tantum: *Si in peccatis sit, remittentur ei*: ergo. R. N. Min. 1. Quia his verbis gratia remissiva peccati absolute promittitur; sed ut de facto remittat peccata, debent inesse, eo scilicet modo, quo in Sacramento Penitentiae confertur absolutio peccatis homini, jam justificato per contritionem perfectam. Insuper his verbis, *Alleviabit eum Dominus*, promittitur effectus sine conditione. Apposuit autem Jacobus conditionem ad remissionem peccatorum, quia remissio peccatorum non est effectus primarius & principalis hujus Sacramenti, sed secundarius tantum, ut dicemus infra. Quidam existimant, particulam *si* non sumi hic pro conditione rei dubiæ, sed pro concessione rei certæ, ut in quibusdam aliis Scripturæ locis. Verum Trid. sess. 14. c. 2. sumit illam conditionatè.

Inst. 3. Juxta Bedam in comment. super hanc Epistolam Apostolus his verbis: *Infirmatur quis in vobis*, &c. dat consilium infirmis, ut a mormuratione contra Deum se teneant: ergo. R. hanc expositionem non esse litteralem, sed moralem. Postea autem Beda, exponens hæc verba litteraliter, explicat ea de unctione infirmorum in oleo per Presbyteros faciendæ; & in c. 6. Marci agnoscit apertè Sacramentum Extreme-Unionis.

Inst. 4. Beda ibidem tribuit remissionem peccatorum Confessione & Absolutioni. Similiter Origenes citatus in probatione illam tribuit Penitentiae: ergo. R. utrumque intelligere remissionem graviorem peccatorum, non levium, nec reliquiarum ex peccatis. At qua fronte hæc obijciunt Hæretici, qui Confessionem abhorrent?

Obj. 3. varia discrimina inter nostram & Jacobæam unctionem. 1. Jacobæa Unctio sanabat agrotos, nostra non sanat, ut experientia patet, neque talis effectus exprimitur in ejus forma. 2. Jacobus plures requirit Presbyteros, Catholicis sufficit unus. 3. Jacobus vult, ungi infirmos, in quibus est adhuc spes sanitatis, Catholici unguunt tantum in evidenti & proximo mortis periculo, cum nulla est amplius spes sanitatis. 4. Per Presbyteros Jacobus intelligit Seniores, nos adhibemus Sacerdotes: ergo Unctio, de qua loquitur Apostolus, non est Extrema-Unctio Catholicorum. R. ad 1. nostra Unctio, sicut Jacobæa, sanari corporaliter agrotos, quando id eorum salutis expedit; nec est necesse, quod effectus minus principalis, qualis est sanitas corporalis, semper obtineatur, neque quod exprimitur in forma, ut patet in Baptismo & aliis. Ad 2. quando Jacobus dicit, *inducat Presbyteros*, id est, aliquem ex Presbyteris, ponendo indefinitum pro definito, ut dum dicimus Presbyteros absolvere; confer. art. 5. pet. 2. Vel dicendum, hoc jussisse Apostolum, non ad necessitatem, sed ad solemnitatem, profit fit adhuc apud Regulares, apud quos plures orant, dum unus ungit, per quem alii videntur unguere. Ad 3. N. Ant. pro secunda parte; nam Canones & Ritualia jubent, hoc Sacramentum administrari, antequam infirmus incipiat & spe sanitatis & sensibus destitui. Undè Catech. Romanus p. 2. c. 6. n. g. dicit, gravissimè peccare eos, qui illud tempus agroti unguendæ obser-

ware solent, cum jam, omnis salutis spe amissa, vita & sensibus carere incipiet. Ad 4. Quamvis vox Græca *Presbyter* sit idem, ac latinè *Senior*; atramen a tempore non testamenti vox *Presbyter*, sicut vox *Sacerdos*, est nomen Officii & dignitatis in Ecclesia, & hoc sensu eam accepisse Jacobum, aperte constat ex eo, quod non dicat *Presbyteros* simpliciter, neque *Presbyteros* communitatis Laicæ, sed *Presbyteros Ecclesie*. Insuper, cum obijcientes velint, Jacobum loqui de curatione corporum tantum, non potuit per Presbyteros intelligere seniores, cum certum sit gratiam curationum non fuisse omnibus senioribus collatam; neque etiam potuit in sententia Catholica, quia Laici non habent potestatem remittendi peccata.

Obj. 4. Tribus primis sæculis nulla occurrit mentio Extreme-Unionis, neque apud Antorem Constitutionum Apostolicarum, neque apud Dionysium Areopagitam, neque apud Cyrillum Jerosol. qui tamen de Sacramentis & Ritibus Ecclesiasticis accuratè scripserunt: item tribus subsequenibus sæculis nullus meminit Extreme-Unionis datæ alicui in exitu: ergo. R. 1. N. Ant. Origenes enim sæculo tertio Extreme-Unionis ex Jacobo meminit, ut vidimus. Quantum ad Dionysium, agit tantum de Officiis Hierarchicis, non de singulis Sacramentis; Cyrillus in Catechesibus Mystagogicis ea tantum explicat, quæ pertinent ad illuminatos, seu recens baptizatos; Clemens autem, seu Actor Constitutionum Apostolicarum non obscure indicat Extremam-Unionem, dum l. 8. c. 29. refert benedictionem olei cum ista oratione: *Da vim electricam sanitatis, morborum expultricem, demonum fugatricem, omnium insidiarum profligatricem.* R. 2. Dato Ant. N. Conseq. 1. Quia ex argumento negativo nihil probatur, præsertim cum adsint in contrarium argumenta positiva. 2. Quia notum est, ex Scriptis priorum sæculorum plura perisse. 3. Quia ex disciplina Arcani mysteria Religionis occultabatur, & rarò scriptis referebantur, ut alii diximus. Inter arcana autem Basilus l. de Spiritu S. c. 27. specialiter recenset *Olei inunctionem*. 4. Quia, quæ quotidiano usu frequentantur, & sunt communia, non solum litteris mandari: sic plures veteres, Eusebius, uterque Gregorius, Nazianzenus & Nyssenus, Ambrosius, Severus Sulpitius, Metaphrastes, Hieron. &c. qui plurimum mortem describunt, non referunt datum eis Viaticum, idè eam sequitur non fuisse datum, cum dari esset præscriptum can. 13. Concilii Nicæni I.?

Inst. 1. S. Epiphanius hæresi 37. & Aug. hæresi 16. inter errores Heraclonitarum recensent unctiones infirmorum: ergo. R. Extremam-Unionem, quam frequentat Ecclesia, horum hæreticorum unctione esse priorem, & ab illa longè diversam. Hi enim, teste Epiphaniõ cit. ungebant oleo aqua mixto, vel unguento ex balsamo & aqua, cum cantilena supersticiosa Marci præstigatoris.

Inst. 2. Nostræ Theologi non conveniunt de Antore, materia, forma, & effectu Extreme-Unionis: ergo. R. N. Conseq. Hæc enim dissensio inter Theologos non obstat, quominus omnes agnoscat unctionem, quæ fit in Ecclesia; esse verum Sacramentum.

Obj. 5. Omnia Sacramenta novæ Legis sunt immediatè a Christo instituta: atque Extrema-Unctio non fuit immediatè a Christo instituta, sed a beato Jacobo: ergo. R. N. Min. (Ibid. art. 3. o.) Quamvis enim Hugo Vict. Magister, & quidam antiqui Scholastici sic olim censuerint, id tamen nunc post definitionem Tridentinam amplius sustineri non potest, silem sine temeritate. Si autem querat, quando Christus illam instituerit? Incertum est: verisimilius tamen dicitur, eam instituisse post resurrectionem, dum loquens de Regno Dei cum Apostolis instituit Sacramentum Penitentiae, ejus Extrema-Unctio est complementum. Pro utraque hæc responsione vide de Sacramentis in genere Dissert. 5. art. 1.

Inst. Eorum, quæ Christus instituit, fit mentio in Evangelio; atque in eo non fit mentio Extreme-Unionis: ergo. R. N. Maj. (Ibid. ad 1.) universalitèr sumptam. Multa enim Dominus fecit & dixit, quæ in Evangelio non continentur; illa enim præcipue curaverunt Evangelistæ scriptis tradere, quæ ad necessitatem salutis & Ecclesie dispositionem pertinent; & idè potius institutionem Baptismi, Penitentiae, Eucharistiæ, & Ordinis factam a Christo narraverunt, quam Extreme-Unionis, vel Confirmationis, quæ neque sunt de necessitate salutis, neque ad dispositionem, sive distinctionem Ecclesie pertinent. Tamen etiam de olei unctione fit aliqua mentio in Evangelio Marci 6. ubi dicitur, quod Apostoli oleo ungebant infirmos, per quod Sacramentum Extreme-Unionis insinuat, ut dictum est.

ARTICULUS II.

De Materia Extrema-Unionis.

IN Extrema-Unionem, sicut in aliis Sacramentis distinguitur duplex materia, scilicet remota, quam dicimus oleum, & proxima, quae est olei applicatio, seu unctio. De utraque plures quæstiones controversantur duplici §. resolvendæ. Unde sit

§. I. De Materia remota Extrema-Unionis.

SUPpono tamquam communiter receptum apud Catholicos, materiam remotam Extremæ Unionis esse oleum olivarum, ab Episcopo speciali benedictione consecratum; sed quæstio est, an hæc omnia sint de necessitate Sacramenti, aut præcepti tantum. Pro cuius resolutione

Dico 1. (Ibid. art. 4. o.) Materia remota Extremæ Unionis est necessitate Sacramenti oleum olivarum. Quod sit oleum (Ibid. in a. s. c.) patet ex ipsa Jacobi Epistola: Ungentes eum oleo. Quibus verbis, inquit Trid. sess. 14. c. 1. ut ex Apostolica Traditione per manus accepta... intelligit Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum. Idem Patres art. præced. laudati.

Ratio congrua est. (Ibid. o.) Quia effectus hujus Sacramenti, qui sunt, specialiter & perfecte sanare, ac sanare, ut spes, quæ exantibus est maxime necessaria, non frangatur, sed fovetur, respondent effectibus corporalibus olei, quod est lenitivum & penetrativum usque ad intima, atque etiam diffusivum.

Quod sit oleum olivarum, expresse tradit Concilium Florent. in Decreto unionis: Cujus materia, inquit, est oleum olive per Episcopos benedictum. (Ibid.) Patet etiam, quia oleum principaliter nominatur olive liquor, dicitur enim oleum ab olea; alii autem liquores solum ex similitudine ad ipsum olei nomen accipiunt. Ex his colligitur, oleum debere esse simplex nullo aliquo liquore permixtum, ita quod, si tanta esset alterius liquoris mixtio, ut destineret esse oleum, nullum foret Sacramentum; si verò remaneret oleum, valeret quidem Sacramentum, sed peccaretur contra præceptum & usum Ecclesie. Quod opponi potest ex Innocentio I. require art. præced. probat. 2.

Dico 2. (Ibid. art. 5. o.) Probabilis est, requiri de necessitate Sacramenti, quod oleum sit benedictum. Est D. Thom. Soto, Bellarm. Estii, Sylvii, & plurimum aliorum, contra plures recentiores, etiam quosdam Thomistas. De mente tamen D. Thom. non est dubium: hic enim art. 5. sibi 3. loco proponit hoc argumentum: Baptismus est perfectius Sacramentum, quam Extrema-Unctio. Sed in Baptismo non præcigitur materiae sanctificationi, quantum est de necessitate Sacramenti: ergo nec in Extrema-Unionem. In corpore autem articuli dat hæc disparitatem, quod Christus tactu suo sanctificaverit aquas, eis intendo ad Baptismum, non autem oleum infirmorum, quo nunquam usus est: & pro responsione ad argumentum propositum remittit ad hanc disparitatem datam in corpore articuli. Manifestum est, S. Doctorem non loqui de necessitate præcepti tantum, tunc ex ipsis terminis argumenti, tunc ex disparitate data, cum certum, sit benedictionem aq. baptismalis esse necessariam necessitate præcepti. Et 3. p. q. 72. art. 3. probans, eandem rationem esse de necessitate Sacramenti Confirmationis, quod chrisma fuerit prius per Episcopum consecratum, quia scilicet Christus non est usus unctio, sicque materiam ejus non consecravit, concludit sic: Et idem tam chrisma, quam oleum sanctum infirmorum prius benedicitur, quam adhibetur ad usum Sacramenti. Miror, quosdam juniores Thomistas a mente tam aperta sui Doctoris, nulla ratione cogente, recedere.

Prob. Conclusio ex Conciliis Florent. & Trid. citatis, & ex Patribus laudatis art. præced. qui pro materia hujus Sacramenti assignant oleum ab Episcopo benedictum. Neque valet si, respondeas cum adversariis, benedictionem assignari a Conciliis & Patribus, non ut partem materię essentialē, sed ut ritum accidentalem ab Ecclesia præceptum. Contra est enim. 1. Ritum meæ accidentalit non potest dici materia Sacramenti, cum materia sit essentialis compositio. 2. Cum Concilia adjuvant ritum accidentalem materię, illum non designant in recto, sed in obliquo ut patet in ritu accidentali miscendi aquam vino pro materia Consecrationis; non enim dicit Concilium Florent. materiam Consecrationis esse vinum mixtum aqua, sed esse vinum, cui admiscetur modicissima aqua. 3. Concilia & Patres non dicunt, benedictionem in aliis Sacramentis, puta in Baptismo, esse materiam Baptismi, cum tamen sit in præcepto. Ratio autem hujus diversitatis alia esse non potest, quam quia benedictio pertinet ad essentialitatem Extremæ Unionis, & non ad essentialitatem Baptismi.

Ratio a priori nulla est, nisi voluntas instituentis, quæ

nobis ex perpetua Ecclesie Traditione constat.

Triplicem congruentiam præfert Auctor. (Ibid.) Prima, quam jam tetigimus, est, quia omnis efficacia Sacramentorum a Christo descendit, & idem Sacramenta illa, quibus ipse est usus, habent efficaciam ex ipso usu suo, sicut tactu suæ carnis vim regenerativam contulit aquis; sed hoc Sacramentum non est usus, & idem in omnibus unctionibus requiritur sanctificatio materię. Secunda est propter plenitudinem gratiæ, quæ confertur, non solum ut tollat culpam, sed etiam reliquias culpæ, & infirmitatem corporis. Tertia est ex hoc, quod effectus ejus corporalis, scilicet sanatio corporalis, non causatur ex materia naturali proprietate; & ideo oportet, quod hæc efficacia sibi per benedictionem detur.

Dico 3. (Ibid. art. 6. o.) Item probabilis est, requiri de necessitate Sacramenti, quod oleum sit benedictum ab Episcopo saltim mediato. Conclusio prob. iisdem auctoritatibus, quibus præcedens, quippe quæ requiritur pro materia Extremæ Unionis oleum ab Episcopo benedictum, ut vidimus. Ratio pariter a priori est voluntas Christi instituentis, quæ nobis Traditione innoscit. (Ibid.) Ratio autem congrua est, ut significetur oleum sua natura non habere efficaciam sanandi spiritualiter, sed a Christo, a quo cum non sit usus benedictum, debet benedici ab Episcopo, qui Christi personam gerit.

Dixi: Saltim mediato; quia videtur sufficere, si benedictur a sacerdote simpliciter ex commissione Episcopi; Sacerdotes enim Græci, teste Arcudio l. 5. concordia c. 2. & Goario in Notis ad Eucharologium-Græcorum, atque pluribus aliis, ex commissione Episcopi benedictum oleum infirmorum, quoties eo utuntur. Et Clemens VIII. in constitutione 34. sive in Instructione super quibusdam Ritibus Græcorum, edita ann. 1598. dicit: Non sunt cogendi Presbyteri Græci olea sancta præter chrisma ab Episcopis Latinis Diocesis acceptere; cum hujusmodi olea ab eis in ipsa oleorum & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur. Quapropter dicendum, Episcopum jure ordinario benedictore oleum infirmorum, Sacerdotem verò simpliciter jure extraordinario, sicut diximus de Ministro Confirmationis.

Dices. In operibus corporalibus ars dignior nunquam præparat materiam inferiori; quia dignior est ars, quæ utitur, ea, quæ præparat, ut dicitur in 2. phys. textu 25; atque Episcopus est supra Sacerdotem, qui dispensat hoc Sacramentum: ergo non præparat materiam in hoc Sacramentum, quo Sacerdos utitur. (Ibid. art. 2.) R. D. Maj. Ars dignior nunquam præparat inferiori materiam, in qua fit aliquid per eum, qui ea utitur, C. materiam, cuius virtute aliquid fit, N. Dicendum itaque, quod materia Sacramenti non est talis materia, ut in qua fiat aliquid per eum, qui ea utitur, sicut est in artibus mechanicis; sed ut ejus virtute aliquid fiat, & sic participat aliquid de ratione cause agentis, in quantum est instrumentum quoddam divinæ operationis: & ideo oportet, quod a superiori arte, vel potestate talis virtus materię acquiratur, quia in causis agentibus quanto aliquid agens est prius, tanto est perfectius in causis autem pure materialibus quanto materia est prior, tanto imperfectior.

Petes, utrum ad validitatem Sacramenti sufficiat benedictio, quovis modo facta ab Episcopo, vel Sacerdote? Respondet affirmativè noster Gonet; idque deducit ex hoc, quod sufficit benedictio Sacerdotis, qui non benedicit eo ritu, quo benedicit Episcopus; vultque, idem Christum requisivisse quidem pro materia Sacramenti benedictionem quoad substantiam, sed modum benedicensi reliquisse Ecclesie; ex quo infert, hoc Sacramentum validè administrari oleo Catechumenorum, non tamen licitè, nisi urgeat necessitas.

Negat Sylvius; quia, inquit, sicut sunt paria non habere instrumentum, & habere instrumentum impertinentes; ita etiam sunt paria oleum non esse benedictum, & esse benedictum benedictione impertinenti: benedictio autem olei Catechumenorum, aut chrisma est impertinens ad unctionem infirmorum. Ad rationem Gonetii responderi potest, quod, licet Sacerdos non benedicat eo ritu, quo benedicit Episcopus, ejus tamen benedictio est in ordine ad unctionem infirmorum, quod dici non potest de benedictione olei Catechumenorum, aut chrisma. Quamvis autem Christus non determinaverit certum ritum, aut certa verba, determinavit tamen, ut benediceretur benedictione aëcomodata usui, ad quem destinabat.

Hinc in V. Synodo Mediolanensi ann. 1579. Tom. 15. Concil. pag. 590. sic statuitur: Parochus, si per errorem aliud oleum, quam quod infirmorum est, ad aegrotum unguendum adhibuerit, etiamsi chrisma, aut Catechumenorum sit, ut erratum emendat, olei sacri, quod proprium infirmorum est, unctionem eisdem adhibeat, tuncque Sacramenti formam iteret. Si autem esset validum Sacramentum in oleo Catechumenorum, vel chrisma, non esset iterandum.

Quamvis hæc secunda sententia mihi sit aliquantulum probabilior.

habilior, prima tamen non est improbabilis; & inde fit, quod oleum Catechumenorum, vel chrisma, aut quodvis aliud, benedictum sine ordine, & accomodatione ad unctionem infirmorum, sed materia dubia; quia ideo licet uti in casu necessitatis, sed non aliter.

Observandum 1. ex Rituali Romano de Extrema-Unionem, oleum infirmorum, quod singulis annis feria V. in Cena Domini ab Episcopo benedicitur, veteri combusto, renovandum esse. Idque sub gravi peccato, inquit Parochiale Leodiense. Si tamen novum deficiat, vetus est adhibendum; non enim ista lex potuit statui in præjudicium salutis. Observandum 2. ex eodem Rituali post Jus Canonicum cap. Quod dubii de Consecr. quod si timeatur, quod oleum benedictum ita deficiat, ut sufficere non videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate superfuso reparari possit. Manet enim tum idem moraliter oleum, & ideo quod admiscetur, contrahit alicui modo benedictionem, non ratione contactus physici, sed ex intentione benedicensis, qui illum dirigit ad istud oleum superadditum in minori quantitate; quia ut dictum est, manet idem moraliter oleum.

§. III. De Materia proxima Extrema-Unionis.

MATERIA proxima Sacramenti est, ut jam dixi, applicatio materię remotæ; consequenter materia proxima Extremæ Unionis est applicatio Olei, seu Unctio; ungentes oleo, inquit S. Jacobus.

Suppono, circa partes corporis ungentas fuisse variam Ecclesiarum participalem disciplinam, ut constat ex diversis Ritualibus, & Ordinibus Sacramentorum, relatis a Menardo, Launoij, & Martene. Quædam enim ungebant collum, guttur, scapulas: quædam verticem, frontem, genas, tempora, pectus: quædam umbilicum in feminis: quædam eam corporis partem, in qua vigeat morbus: quædam solum caput. Inter Græcos quidam ungebant frontem, faciem, & manus: quidam nomen, mentum, genas, pectus, manus, & pedes. Ecclesia Romana, omnium Mater, septem Unctiones commemorat, ut habetur in antiquo Pontificali Romano, & in Decreto Concilii Florent. pro instructione Armenorum, his verbis: Hoc Sacramentum, nisi infirmo, de cuius salute timeatur, dari non debet, qui unguendus est in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Similia habet Catech. Rom. p. 2. de Extrema-Unct. n. 10. Quem ungenti ritum quoad quicquid sensus universalis Ecclesia retinet, inquit ibidem idem Catechismus; unctio enim renum omittitur in feminis propter decentiam; imò in pluribus locis omittitur etiam in viris.

Quæstio est, an ad essentialitatem Sacramenti sufficiat una unctio; an plures, & quot requirantur? Quidam volunt, sufficere unam in quacunque corporis parte, modo forma exprimat omnem sensum: Sic: per istam unctionem, &c. indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, auditum, &c. Et si urgeat necessitas, sufficere, si dicatur, quidquid deliquisti per omnes sensus. Alii requirunt quintuplicem Unctionem quinque sensuum sub hac una forma: Per istas sanctas Unctiones, &c. indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, auditum, &c. Alii tandem requirunt quintuplicem Unctionem quinque sensuum, cum forma quintuplici cuiuslibet Unctioni respondente. Quæ ex his opinionibus sit vera; certo definire posse non arboris, nulla enim videtur excedere limites probabilis. Et ideo

Dico (Q. 32. art. 6.) Probabile est, quintuplicem Unctionem sensuum esse de essentialitate Sacramenti. Est D. Th. D. Bonav. & plurimum aliorum, præsertim Thomistarum. Sic S. Th. citatus: Illa Unctio ab omnibus observatur, quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessitate Sacramenti. Nec obstat particula quasi, non enim ibi est minens, sed asserens, perinde, ac si dixisset: tamquam, seu qualiter observare debent, quæ sunt de necessitate Sacramenti. Quo sensu Joannes dicit in Evangelio: Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti a Patre, id est, qualem deest unigenitum Patris. Et art. 5. præcedenti præcipientes non debere neri in toto corpore, sed in partibus, quæ sunt radices peccatorum. Istas autem radices esse quinque sensus, docet hic art. 6.

Prob. Concl. 1. Quia, ut dicit S. Th. ita ab omnibus observatur, ex qua universali Ecclesie praxi colligitur probabiliter, hæc quintuplicem Unctionem esse de necessitate Sacramenti vi institutionis Christi. 2. S. Gregorius in suo Sacramentario apud Menardum, & Concilium Florent. in Decreto unionis assignant hæc quinque Unctiones. Nec refert, quod Florent. refert insuper Unctiones renum, & pedum, omnes enim hæc Unctiones refert, quia erant tunc in usu, ut videretur nullam damnare, quin imò approbare, sed non in eodem gradu; cu Theol. Billuart. Pars Tertia.

jus signum est, quod istæ duæ ultimæ Unctiones in pluribus locis omittantur; nullibi quinque primæ. (Ib. & art. 5. o.) 3. Unctio in hoc Sacramento adhibetur tamquam medicatio spiritalis, ideoque ejus ritus ex similitudine medicationis corporalis sumendus est; in corporalibus autem, licet totum corpus infirmetur, medicina tamen non applicatur, nisi illi loco ubi est radix, & origo morbi; atque prima radix, & origo peccatorum nostrorum sunt quinque sensus; omnis enim cognitio nostra est a sensibus, & nihil est volitum, quin præcognitum: ergo. 4. Ecclesia præcipit, ut, si Minister post primam, vel alteram Unctionem deficiat, alter alias Unctiones perficiat; hoc autem non solet Ecclesia præcipere, ubi non agitur de necessitate Sacramenti. 5. Plures ex Adversariis concedunt, sub una Unctione omnes sensus in forma debere exprimi, dicendo: Per istam Unctionem indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum. Porro, si quinque sensus necessariò debent exprimi in forma, quare non debent ungi? Hæc sunt, quæ istam Sententiam probabilè efficiunt, sed nec deest Sententiæ contrariæ sua probabilitas, ut patebit ex argumentis sequentibus.

Obj. 1. Neque ex Scriptura, neque ex Traditione erui potest, quinque Unctiones assignatas esse de necessitate Sacramenti. Non ex Scriptura, S. Jacobus enim dicit simpliciter, ungentes eum: quot autem, & quæ Unctiones sint faciendæ, non determinat. Sicut ergo ex hoc baptizantes eos eruitur, tantum esse necessariam abluentionem, seu immersionem, non autem necessariò requiri triplicem; ita ex hoc ungentes eum erui non potest, necessarium esse quintuplicem Unctionem, sed Unctionem simpliciter. Non ex Traditione; varia enim fuit Ecclesiarum disciplina circa numerum, & locum unctionum, ut dictam est aut Conclusionem; & Græci etiam nunc non unguunt omnes sensus: ergo. R. id erui ex Traditione, quam indicat, & probat universalis Ecclesie usus, & ex ipsa natura Sacramenti, ut patet ex 3. probatione Conclusionis. Quantum ad probationes in contrarium: quidquid sit de Ecclesiis particularibus, non ab ipsis, sed ab Ecclesia Rommana repetenda est Traditio Ecclesie. Quantum ad Græcos, eosque, ut suppono, Catholicos, si verum sit, quod opponitur, dicendum est, Christum, non determinasse hujus Sacramenti materiam in specie, sed in genere tantum, assignando Unctionem, quam determinandam in specie Ecclesie reliquit. Ecclesia autem ex hac potestate, sibi a Christo concessa, approbat ritum Græcorum, & fortè approbavit varios ritus Ecclesiarum particularium, sed tandem omnes ad unum revocavit pro Ecclesia Latina, sicut dixi de forma Confirmationis artic. 6. Obj. 2. Confer.

Inst. 1. Ex hoc, quod Ecclesie praxis a temporibus Apostolorum sit adhibere in Baptismo trinam immersionem, seu infusionem, non sequitur, quod hæc trina immersio, seu infusio, sit de necessitate Sacramenti, sed præcepti tantum: ergo similiter de praxi Ecclesie quoad quinque Unctiones: R. N. Conseq. Disparitas est, quod Baptismus conferatur per modum abluentionis talis, qua homo possit dici ablutus; abluatur autem in hac, vel altera parte, in una, vel pluribus partibus, semper dicitur ablutus. At Extrema-Unctio conferitur per modum medicationis; medicatio autem debet applicari malorum radicibus, quod sunt quinque sensus, ut dictum est.

Inst. 2. Truncati manibus, surdi, & cæci a nativitate sunt capaces Extremæ Unionis; atque ungi non possunt in quinque sensibus, tunc quia illis carent, tunc quia in nunquam peccaverunt: ergo. R. N. Min. (Ib. art. 7. o.) Ii enim sunt ungenti in partibus sensui vicinioribus. Ad 1. Probationem Quamvis usu visus, & auditus privetur cæcus, & surdus, remanent tamen adhuc in oculo, & in auro quædam organa potentie visivæ, & auditivæ. De manco, quoad sensum tactus res est aperta, est enim in toto corpore. Ad 2. probationem, quamvis aliquibus sensibus privati in non peccaverint actu externo, poterunt tamen peccare interius, voluntate, & desiderio in male utendi.

Obj. 2. Pastorale Mechliniense ann. 1589. approbatum ab Academia Lovaniensi tradit, instante periculo, ut tempore pestis, vel morbi contagiosi, sufficere ungi unam sensum magis obvium sub hac forma: Per istam sanctam Unctionem indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, odoratum, gustum, & tactum. Similiter plura alia Ritualia; quædam etiam docent sufficere, si dicatur, Quidquid deliquisti per quinque sensus, quæ tamen Ritualia non improbat Ecclesia: ergo. R. Hæc Ritualia tradere sententiam, quam fatemur esse problemem, & quam ideo non reprobat Ecclesia. Quia imò ob hujus sententiæ probabilitatem nos ipsi dicimus, quod, dum, necessitate urgente, fieri non possunt quinque Unctiones, una sit adhibenda sub una, vel altera forma in objectionem, secundum quod ter de invaliditate Sacramenti sic collati, melius est in extremis conferri dubium, quam nullum. Adde tamen quantum ad Pas-

torale Mechliniense, illud fuisse hac in parte emendatum ann. 1607. quod non negat Sylvius, acerimus hujus 2. sententiae defensor.

Observanda circa Uctiones.

1. Uctiones sunt faciendae per modum crucis, non de necessitate Sacramenti, sed praecipue, ex Ritualibus. 2. Ungendi sunt 1. Oculi, deinde Aures; 3. Nares; 4. Labia. 5. Pectus, ubi ungitur. 6. Manus. Item 1. Ungendus est oculus dexter, auris dextera, &c. ex Ritualibus. 3. Quantum ad unctionem membrorum, quae sunt geminae in homine, ut duo oculi, duae aures, &c. utrumque est unguendum sub una forma, cum duplici tamén cruce. Caveat autem Sacerdos, ne Sacramenti formam absolvat, priusquam ambo hujusmodi paria membra peruxerit. Ita Rituale Romanum. 4. Si antequam absolute suat Uctiones, moriatur infirmus, ibi sistat Sacerdos, nec quidquam Sacramenti addat. Si vero dubium sit an vivat, prosequatur sub hac conditione, Si vivis. 5. Plura Ritualia praecipiant, unctiones fieri pollice intincto; quaedam virgula intincta: quisque sequatur ritum suae Ecclesiae: id enim non pertinet ad necessitatem Sacramenti. 6. Juxta Rituale Romanum, & plura alia, manus Sacerdotum unguuntur exterius, anteriori interius; quia Sacerdotes in sua ordinatione fuerunt uncti ab Episcopo in vola manuum; & ideo incongruum videtur, ut ibidem unguantur a simplici Sacerdote. Quaedam tamén, ut Pastrale Mechliniense, statuunt Sacerdotes, & Episcopos esse unguendos in vola manuum. Quisque iterum ut ante sequatur ritum suae Ecclesiae, quando non improbat a summ. Pontificibus. Pedes autem semper unguuntur in superiori parte, ne sanctum oleum videatur calcari.

Petes, utrum sit validum Sacramentum, si quinque sensus unguantur sub una forma, illos omnes distincte exprimentes? Respondet negativè noster Gonet; tum quia, cum sint distinctae materiae partiales, scilicet unctiones, debent singulis respondere formae partiales; tum quia quilibet ex istis unctionibus habet specialem effectum, significandum proinde per specialem formam. At forte posset responderi, quod haec forma sit virtualiter multiplex, & aequivalet pluribus particularibus; sique quod cuilibet unctioni correspondeat sua forma; & specialem cujuslibet effectum significet.

ARTICULUS III.

De forma Extremæ-Uctionis.

Suppono 1. (Q. 29. art. 7. o.) hujus Sacramenti, sicut cæterorum, esse aliquam formam, contra quosdam antiquos, quorum sententiam præsumptosam, & erroneam vocat Auctor hic. Patet 1. ex Jacobo dicente; Orent super eum, ungentes... & oratio fidei salvabit infirmum. 2. ex usu utriusque Ecclesiae. 3. ex Concilio Florent. in Decreto unionis, & Trid. sess. 14. c. 1. 4. denique ratione Auctoris; quia omne Sacramentum efficit significando; significatio autem materiae non determinatur ad effectum determinatum, cum ad multa se habere possit, nisi per formam, & ideo in omnibus Sacramentis novæ Legis, quae efficiunt quod figurant, oportet esse res. & verba. Suppono 2. Formam ordinariam, quam tradunt Florentinum, Trid. & Rituale Romanum, quamque usurpat Ecclesia Latina, esse hanc: Per istam sanctam Uctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, dum unguuntur oculi; per auditum, dum unguuntur aures, & sic de cæteris. Quae verba sint essentialia, dicemus infra.

Controversia est, utrum forma hujus Sacramenti necessario debeat esse deprecativa, ita ut indicativa non sufficiat? Negant, post Morinum, Launoium, Menardum, Martene, plures recentiores Scholastici Juenin, Tournely, & alii; id etiam negarunt olim Albertus magnus, Poladanus, Buius, Navarrus. Affirmant Thomistæ, & Scotistæ cum SS. Th. & Bonav. & communis alii Theologi, cum quibus

Dico. (Ibid. art. 8. o.) Forma Extremæ-Uctionis est necessario deprecativa, nec sufficit indicativa. Prob. 1. Ex ipsa S. Jacobi Epistola. Orent, inquit, super eum ungentes oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum; ubi per unctionem, & orationem exprimitur materia, & forma hujus Sacramenti, ut docet Trid. sess. 14. c. 1. quibus verbis, inquit, ut ex Apostolica traditione, per manus accepta, Ecclesia dicitur, docet materiam, formam... hujus Sacramenti. 2. Ex Florent. in Decreto unionis, & ex Trid. citato, ubi subjungit. Intellexit enim Ecclesia... formam esse illa verba, per istam Uctionem, &c. 3. Ex traditione, quam ibidem asserit Trid. 4. Ex praxi universalis Ecclesiae Græcæ, & Latinae: de Latina constat. Item de Græca: hæc enim est illius forma, teste Arcudio libr. 5. Concord. Pater sancte, medice animarum, & corporum, sana serum

tuum ab illa, quae ipsum delinet, corporis, & anime infirmitate.

5. Suae det congruentis. 1. (Ib.) Quia suscipiens hoc Sacramentum est viribus propriis destitutus ad exercendos actus virtutum, qui sunt necessari ad uberiorum fructum Sacramenti, & ideo indiget orationibus sublevari. 2. Quia datur exentibus, qui jam desinunt esse de foro Ecclesiae, & in solius Dei, ad cujus tribunal sicut debent, manu requiescant; unde & si per orationem committuntur. 3. Quia hoc Sacramentum non habet infallibilitèr aliquem effectum, qui semper ex operatione Ministri sequatur, etiam omnibus, quæ sunt de essentia Sacramenti, ritè peractis, ut est character in Baptismo, Confirmatione, & Ordine, Transsubstantiatio in Eucharistia, sunt essentialia peccatorum in Penitentia, existente contritione, quæ est de essentia Sacramenti Penitentiae, non autem de essentia hujus Sacramenti: ita ut, positis omnibus essentialibus, possit hoc Sacramentum esse validum, & tamèn nullum prorsus habere effectum; neque spirituales propter indispositionem subjecti, neque corporales, quia non expedit: & ideo in hoc Sacramento non potest esse forma indicativi modi, sicut in aliis Sacramentis.

Obj. 1. Albertus Magnus, & S. Bonav. referunt hanc antiquam formam, quæ dicitur Ambrosiana, quod putetur fuisse in usu in Ecclesia Mediolanensi tempore S. Ambrosii: Ungo te oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ut, more muniti uncti, preparati ad certamen, aereas possis superare potestates: Arcudius laudat hæc veterum formam, quam dicit a Leone X. approbatam: Ungo te oleo sancto, ut hac unctione protectus fortitèr stare valeas adversus aereas catervas in nomine Patris, &c. Plures alii referunt Menardus, Launoius, Martene, & alii scrutatores antiquitatum; atqui hæc formæ sunt indicativæ ergo.

Respondet S. Th. (Ibid. ad 3.) quod verba illa indicativi modi, quæ secundum morem quorundam præmittuntur orationi, non sunt forma hujus Sacramenti, sed sunt dispositio ad formam, non quantum intentione Ministri determinatur ad actum illum per illa verba. Et nota, S. Th. refert tantum in argumento hæc prima verba: Ungo hos oculos oleo sanctificato in nomine Patris, &c. Dato tamèn in his verbis, quæ retulimus, contineri formam essentialem, R. 2. has formas non esse solum indicativas, sed etiam deprecativas. Hæc enim verba, ut possis, ut valeas in nomine Patris, &c. dicuntur optative, quod est deprecari Deum, ut tamquam causa principalis hunc effectum producat. Similis est illa, quæ utuntur Atebatenses circa eos, qui non sunt morti proximi: Ungo hos oculos oleo sanctificato in nomine Patris & Filii & Spiritus S. ut quidquid illicito viso deliquisti, hujus olei unctione expiatur, per Christum Dominum nostrum. Idem dicendum de aliis similibus antiquis formulis. Quod si quædam proferantur nullo modo deprecative, censensus fuisse insufficientes, nec unquam ad Ecclesiam probatas.

Obj. 2. Ex his verbis: Baptizantes eos, &c. colligimus hanc formam: Ego te baptizo: ergo ex his: Ungentes eum, colligere debemus istam: Ego te ungo. R. N. Consequ. Disparitas est, quod his verbis, ungentes eum, præmittitur, orent super eum. Ex quo colligitur hæc verba: ungo te, non esse formam, nisi deprecative proferatur; nihil autem tale legitur in his verbis: baptizantes eos. Quin imò retorqueo argumentum. Ex eo quod Scriptura dicit: Baptizantes eos in nomine Patris, &c. colligimus expressionem Trinitatis pertinere ad formam essentialem Baptismi: ergo eo quod dicit: orent super eos, ungentes, colligatur, orationem pertinere ad formam essentialem.

Inst. 1. Effectus orationis non est infallibilis; atqui tamèn effectus sacramentalis, quantum est ex se, est infallibilis: ergo. R. D. Ant. Effectus orationis, ut est opus operantis, non est infallibilis, C. ut est opus ex institutione Christi elevatum ad esse sacramentale, N.

Inst. 2. Juxta S. Th. 3. p. q. 84. art. 3. ad 1. in ab solutione sacramentali non sufficit dicere, miserere tui Deus; quia per talia verba Sacerdos non significat absolutionem fieri, sed petit, ut fiat: ergo similiter hic. R. N. Consequ. Disparitas est, quod in Sacramento Penitentiae Sacerdos agat Judicem, Judicis autem est proferre sententiam; quæ ratio non currit in hoc Sacramento.

Inferes 1. ergo saltèm Sacerdos non causat gratiam, quam petit tantum dari. R. N. Illationem. Quia hoc ipso quo profert formam a Christo institutam ad causandam gratiam, sive sit deprecatoria, sive indicativa, gratiam causat.

Inferes 2. Ergo Sacerdos, voluntariè distractus in collatione hujus Sacramenti, nihil efficit; non enim orat, cum secundum nos, attentio saltèm virtualis requiritur ad orationem. Quidam concedunt illationem. At melius videtur neganda; quia validitas Sacramenti non pendet ab oratione Sacerdotis, ut est opus operantis, sed ut est Sacramentalis, & habet efficaciam ex meritis Christi. Nec refert, quod ipse ut persona particularis non oret; manet enim nihilominus forma deprecativa, &

& per ipsum tanquam per Ministrum Ecclesia oratio, ut fit in orationibus communibus.

Petes 1. Quæ verba formæ supra descriptæ sint essentialia? R. hoc verbum Sanctam non esse essentialia, illius enim non meminerunt Florent. & Trid. neque hæc, & suam piissimam misericordiam; quia sufficienter indicatur misericordia per Tò indulgeat. Neque ista, In nomine Patris, &c. quia infirmi non unguuntur ut confirmati ad defendendam fidem, cujus præcipuum objectum est Trinitas. Ista verò, per istam unctionem, aut alia unctionem saltèm implicitè significantia, sunt essentialia; quia alia, cum oleum sit indifferens ad multa, non satis determinaretur per formam ad unctionem, sicut, si in Baptismi forma ommitteretur se baptizo, ut suo loco vidimus. Dixit aut alia unctionem saltèm implicitè significantia; quia in hac forma Græcorum Pater sancte, Medice animarum, & corporum, sana, &c. unctio importatur tantum implicitè per Tò Medice, & sana. Item ista, Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti, sunt essentialia, utpotè per quæ significatur effectus principalis Sacramenti. Quidam tamèn negant de istis verbis, quidquid deliquisti; quia existimant, sufficienter significari per Tò Indulgeat. At falluntur: significatio enim hujus verbi indulgere longè latior, & generalior est, quam istorum, condonare, seu remittere delicta. Indulgeat, inquit Calepinus, significat obsequor, consentio, inservio, facile concedo, plus æquo remitto. Undè intendendo, quidquid deliquisti, non significaretur determinatè principalis effectus Sacramenti, qui est remissio peccatorum.

Superest dubium de expressione cujuslibet sensus, dicendo per visum, per auditum, &c. an sit essentialis? Quidam negant, quia in forma Græcorum, Ambrosiana, & Veneta, quas diximus valere, omittitur. Alii affirmant, quia per unam unctionem, & formam illi respondentem non remittuntur quoruncumque peccatorum reliquæ, sed eorum tantum, quæ per illum sensum particularem commissa sunt, & ideo videtur exprimentus. At forte posset dici, hæc rationem esse convenientem, sed non cogentem. Quidquid sit, res est dubia, & ideo nunquam omittemus expressio sensuum. Item, quamvis absque iis, quæ diximus non esse essentialia, subsisteret Sacramentum, peccaret tamèn, qui ea omitteret, gravitèr, vel levitèr pro quantitate, aut qualitate materiae.

Petes 2. Utrum hoc Sacramentum, non obstantibus pluribus materiis, & formis, sit unum? R. (Ibid. art. 2. o.) affirmativè; quia illæ plures materiae, & formæ partiales ordinantur ad unum, & eundem finem, seu effectum, scilicet ad significandam, & causandam perfectam curationem vulnerum spiritualium, ad quod requiritur, quod medicina applicetur diversis radicibus vulnerum Sacramentum autem, cum sit artefactum morale, desumit unitatem ab unitate finis, ad quem ex institutione Christi ordinatur: sicut, licèt in domo sint plures partes, quia tamèn ad unum totalem finem ordinantur, constitunt unam domum, unum ædificium.

ARTICULUS IV.

De Effectibus Extremæ-Uctionis.

Extremæ-Uctionis effectus recenset Trid. sess. 14. cap. 2. hoc modo. Res porrò, & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur: Et oratio fidei salvabit infirmum; & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, dimittentur ei: Res etenim hæc gratia est Spiritus S. cujus unctio delicta, si que sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & egroti animam alleviat, & confirmat; magnam in Deo divinæ misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calcaeo insidiantis facilius resistit, & sanitate corporis interitum, ubi saluti anime expeditur, consequitur.

Controversatur inter Theologos, quis ex illis effectibus sit primarius, & principalis, seu ad quem primò per se, & principalitèr sit instituta Extrema-Uctio? Bellarminus, quem sequitur Tournely cum quibusdam aliis, assignat remissionem peccatorum tam mortuorum, quam viventium post Confessionem, & Communionem remanentium, sive quia omnia sunt inadvententèr in Confessione, sive quia post Confessionem, & Viaticum commissa sunt. Scotus, & Scotistæ assignant remissionem peccatorum venialium tantum. Thomistæ cum suo Duce gratiam, seu augmentum gratiæ corroborantis animam contra torporem, & debilitatem ad actus virtutum, relictam ex peccatis præcedentibus, aliasque tentationes, ac difficultates ex parte Dæmonis, aut aliunde tunc occurrentes.

Dico 1. (Hic q. 30. art. 1. o.) Primarius, & principalis effectus Extremæ-Uctionis non est remissio peccatorum sive mortalium, sive venialium. Prob. 1. pars. (Ib.) Extrema-Uctio est instituta per modum curationis, & sanationis; atqui medicatio, & sanatio supponit vitam in eo, quem sanat: ergo Extrema-Uctio.

Uctio supponit vitam spiritualem, consequenter absentiam peccati mortalis, per quod vita animæ tollitur.

Confirm. Secundum omnes Theologos sunt tantum duo Sacramenta mortuorum, scilicet Baptismus per modum generationis, & Penitentia per modum suscitationis; atqui si Extrema Uctio sit instituta per se primò ad remittenda peccata mortalia, erit etiam Sacramentum mortuorum: ergo. Multas differentias excogitat Tournely inter Baptismus, & Penitentiam ex una parte, & Extremam-Uctionem ex altera; sed nulla evincit Extremam-Uctionem, si sit primario instituta ad remittenda peccata mortalia, non esse Sacramentum mortuorum.

Prob. 2. pars 1. (Ibid.) Sacramentum Penitentiae, vi suæ institutionis, sufficiens est ad tollenda omnia peccata venialia: ergo non debuit aliud institui pro eorum remissione. 2. Nullum Sacramentum (3. p. q. 65. art. 5. ad 8.) novæ Legis est per se primò institutum contra peccata venialia: ergo. Prob. Ant. In quolibet peccato gratia infunditur; atqui ad remissionem peccati venialis non requiritur infusio gratiæ: ergo. 3. Si hoc Sacramentum esset directè institutum ad remissionem venialium, deberet ministrari tam sanis, quam infirmis; atqui, &c. ergo.

Si dicas, effectum hujus Sacramenti non esse remissionem venialium simpliciter, sed remissionem in exitu finalem, ne sint impedimentum gloriæ; quia congruebat ut a venialibus, in quæ frequenter labimur, etiam post acceptum Penitentiam, & Eucharistiæ Sacramentum, mundaremur ante hujus mundi exitum. Contra. Ex hac Responsione sequitur. 1. Quod non debeat conferri hoc Sacramentum nisi in ipso articulo mortis, quando non est amplius periculum peccandi. 2. Quod debeat conferri demeritis ad mortem. Utrumque autem est falsum. Insuper in Sacramento, quod est primario institutum ad remittenda peccata, non attenditur ad tempus præteritum, vel futurum, neque quod committi iterum non possit; sed sufficit, quod commissa sint, & possint deleri.

Dico 2. (Ib.) Effectus primarius, & principalis Extremæ-Uctionis est gratia, seu augmentum gratiæ habitualis connotantis specialia auxilia contra proclivitatem in malum, torporem, & debilitatem ad bonum ex peccatis præcedentibus relictas, quæ ideo dicuntur reliquæ peccatorum. Prob. (Ib.) Hoc Sacramentum, cum sit medicatio, & sanatio, est primario, & principalitèr institutum contra hos defectus, quibus homo spiritualitèr infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vite, gratiæ, vel gloriæ; atqui hic defectus nihil aliud est, quam quidam languor, debilitas, & ineptitudo ad hos actus, quæ in nobis relinquuntur ex peccato originali, vel actuali: ergo.

Confirm. Effectus absolutus, proprius, & principalis hujus Sacramenti, est tollere reliquias peccatorum, ut dicit Trid. cit.; atqui per reliquias peccatorum nihil aliud intelligi potest, quam iste languor, & ista debilitas ad actus virtutum: ergo. Prob. Min. Non potest intelligi per reliquias peccatorum macula, seu reatus poenæ æternæ; hæc enim tolluntur per Penitentiam: non reatus poenæ temporalis; tum quia contra hæc etiam ordinatur secundario Sacramentum Penitentiae; tum quia, si remissio hujus reatus foret effectus principalis, & primarius Extremæ-Uctionis, sequeretur, quod infirmus recipiens hoc Sacramentum cum debita dispositione nihil amplius haberet luentum; Sacramentum enim infallibilitèr operatur suam effectum primarium in subiecto benè disposito: non fomes peccati, aut habitus vitiosus; quia utrumque remanet in infirmo uncto: non denique peccata, post confessionem, & Viaticum commissa; patet ex 1. Conclusionè; sed insuper, ut aliquid sit reliquia alterius, non sufficit, quod illi succedat, sed debeat habere aliquam connexionem cum ipso tanquam pars, vel effectus illius; sic partes ciborum in prandio remanentes dicuntur reliquæ prandii, quia sunt partes illius; sic macies, pallor, debilitas dicuntur reliquæ morbi, quia sunt effectus illius. Nox verò non dicitur reliquia diei, neque dies reliquia noctis, licèt sibi succedant, atque peccata, post confessionem, & Communionem commissa, sæpè nullam habent connexionem cum præcedentibus ut pars, aut effectus illorum: ergo.

Hæc porrò gratia sanans, quam ponimus pro effectu primario, & principali hujus Sacramenti, corroborat animam, tum ad superandum tentationes, & insultus dæmonum tunc maxime urgentes; tum ad levius, & facilius ferendam morbi incommoda; spemque erigit in divinam misericordiam, sic enim sanatur languor, & debilitas ad bonum; ac tandem remittit peccata, si quædam reperiantur non solum ex ratione generica Sacramenti, quatenus confert gratiam incompossibilem cum peccato, quod est commune omnibus Sacramentis; sed etiam in videtur ex sua ratione specifica, & institutione, non quidem primaria, sed secundaria; dicit enim Jacobus, & post Tridentinum citatum; esse institutum ad remissionem peccatorum, si quæ sint. Primum asserit Auctor, secundum non negat.

Obj. Remissio peccatorum assignatur pro effectu hujus Sa-

cramenti, a S. Jacobo, & Trid. citato: Si in peccatis sit, inquit Apostolus, remittentur ei. Delicta, inquit Concilium, si qua sint adhuc expianda, absterget: ergo. R. nos etiam dicere remissionem peccatorum esse effectum hujus Sacramenti, sed secundarium; nec aliquid plus ex his auctoritatibus potest evinci, maxime cum loquatur conditionate. Effectus enim principalis, & primarius alicujus Sacramenti semper, & absolute sequitur, nisi recipiens ponat obicem.

Inst. 1. Ille est effectus primarius, & principalis Sacramenti, qui importatur in ejus forma; atqui remissio peccatorum importatur in forma Extremæ-Uncionis; fert enim, quidquid deliquisti, &c. ergo. R. 1. hunc effectum non importari in formis Ambrosiana, & Veneta, ut vidimus, quas tamen ut validas recipiunt nobiscum Adversarii. 2. D. Maj. Ille est effectus primarius, & principalis Sacramenti, qui importatur in ejus forma independentem a materia, N. in ejus forma cum materia, seu proportionaliter ad materiam, C. Totum enim Sacramentum significat. Porro materia, seu Unctio significat sanationem, & curationem, quæ supponit vitam, consequenter absentiam peccati. Nam Unctio, inquit Trid. sess. 14. c. 1. aptissime Spiritus S. gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, representat. Dicendum itaque, hic poni causam pro effectu, & per Tô Deliquisti, seu delicta, intelligi effectus, ut illum delictorum, quo sensu Apostolus Rom. 7. fomitem relictum ex peccato originali appellat peccatum. Sic etiam loquitur S. Th. hic art. 1. o. dñm dicit: Per hoc Sacramentum peccata semper remitti, non quoad culpam, quia non semper invenit, sed quoad debilitatem predictam, quas dicimus reliquias peccati.

Inst. 2. Potest contingere, quod infirmus post Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ committat peccatum mortale, cui non se credat obnoxium, aut quod non ritè priorem Confessionem, & Communionem perfecit, & illud itè ignoret. Videtur autem ad providentiam Dei pertinere, ut sit aliquid Sacramentum horum peccatorum remissivum; quod non est aliud, quam Extrema-Unctio: ergo. R. ad hos casus raro contingentes sufficere, quod Extrema-Unctio secundario remittat peccata.

Inst. 3. ex D. Th. contr. Genes cap. 73. ubi dicit: Contingit, quod homo omnium peccatorum, quæ commisit, notitiam, vel memoriam non habet, ut possit per pœnitentiam singula expurgare, a quibus oportet hominem in suo exitu per hoc Sacramentum emundari. Et in Suppl. quest. 30. art. 1. Si invenit peccatum aliquod, inquit, vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex: ex parte recipientis ergo. Ita Honoratus Tournely. R. mirum sane, & plusquam mirum, S. Th. dicere opinionem eo ipso in loco, in quo ipsam ex professo impugnat, nostræ enim probationes sunt ejus rationes loco cit. Suppl. quas sic concludit: Undè dicendum, quod principis effectus hujus Sacramenti est remissio peccatorum quoad reliquias peccati, & ex consequenti etiam quoad culpam, si eam inveniat. In his verbis autem ex eodem articulo objectis, oscitantur admodum, ne quid plus dicam, omisa sunt hæc immediate præcedentia: Sed quia hoc robur gratia fecit, quæ secum non comparatur peccatum, idè ex consequenti, si invenit peccatum, &c. Eodem sensu intelligendus est textus contr. Gen. de remissione peccati, quoad reliquias, & ex consequenti, & secundario quoad culpam.

Dico 3. (Ibid. art. 3. o.) Effectus secundarius Extremæ-Uncionis est sanitas corporalis, non absolute, sed conditionate, si animæ expedit. Indicatur hic effectus his Jacobi verbis: Oratio fidei salvabit infirmum, & alleluia eum Dominus, salus enim ista, & alleviatio sic primario spectat animam, ut etiam secundario comprehendat sanitatem corporis; & ita asseritur a Conc. Flor. in Decreto unionis, & Trid. citato. Hanc autem sanationem corporalem (Ibid.) facit, non ex proprietate naturali materię, sed ex virtute divina, quæ rationabiliter operatur. Et quia ratio operans nunquam inducit secundariam effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem; idè ex hoc Sacramento non semper sequitur corporalis sanatio, sed quando expedit ad sanationem spiritualem; & tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.

Si dicas, idè sequi sanitatem quandoque fore miraculosam, quando nempe tanta est violentia morbi, ut sanari non possit naturaliter; atqui tamen effectus Sacramenti non dicitur miraculosus: ergo. R. Quod, quamvis hic effectus speret vires naturæ, quia tamen, attentæ virtute, quam Deus Sacramento indidit, quæque juvat causas naturales, producit secundum potentiam ordinariam, idè non dicitur miraculosus.

Petes. Quandoquid istud Sacramentum producat suum effectum, an post primam, an post ultimam Unctionem? R. (Ibid. art. 1. ad 3.) Producere potest ultimam; quia, cum secundum nos omnes quique Unctiones sint de essentia Sacramenti, non est completum nisi post quintam Unctionem: non producit autem effectum, nisi sit essentialiter completum. Quando, inquit Auctor, sunt multe actiones ordinatæ ad eundem effectum, ul-

tima est formalis respectu omnium præcedentium, & agit in virtute earum; & idè in ultima actione gratia infunditur, quæ effectum Sacramenti præbet.

ARTICULUS V.

De Ministro Extremæ-Uncionis.

Dico. (Ibid. q. 71. art. 1. & 2. o.) Solus Sacerdos est Minister Extremæ-Uncionis. Prob. Ex illo Jacobi: Infirmatur quis in vobis: inducat Presbyteros Ecclesie, &c. Per Presbyteros autem, intelligi non ætate seniores et populo, ut contendunt Hæretici, sed Sacerdotio initiatos, evincunt momenta sequentia. 1. Quia, licet vox Græca Presbyter, secundum etymologiam, significet ætate seniore; atamè in Scriptura novi Testamenti, ubicumquè agitur de manibus Ecclesiasticis, per Presbyteros nunquam intelligitur ætate seniores, sed gradus, & Sacerdotii dignitate majores, ut Act. 14. v. 12. 15. v. 2. 1. ad Tim. 5. v. 17. & 19. 1. Petri 5. v. 1. Item initio 2. & 3. Joannis. 2. Jacobus non dicit Presbyteros simpliciter, sed Presbyteros Ecclesie, aperte significans se eos intelligere, non qui præsent Communitati seculari, sed Ecclesie. 3. Quia dicit, inducendos esse Presbyteros, ut orent super infirmum, ut illum ungant in nomine Domini, & idè allevietur, ac remittantur ei peccata, quæ omnia non ætate senibus, sed Sacerdotibus competunt: ad hæc enim, ut patet, impertinetis est ætas senilis. 4. De Sacerdotibus intellexerunt Patres laudati art. 1. 5. Perpetuus Ecclesie usus. 6. Denique pariter Concilium Flor. & Trid. in cujus sess. 14. can. 4. sic definitur: Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesie, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ-Uncionis Ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit. Undè conclusio est fide.

Suadetur rationibus, 1. Sacramentum Extremæ-Uncionis est consummativum Pœnitentiæ, ut dicit Trid. sess. 14. c. 1. & patet ex ejus institutione: ergo illius administratio pertinet ad eos, ad quos pertinet Sacramenti Pœnitentiæ administratio, qui sunt Sacerdotes; consummatio enim operis pertinet ad digniorem Ministrum. 2. Quandoquæ ætate juvenes provehantur ad Sacerdotium, aut Episcopatum, ut Timotheus; absurdum autem foret his præferri senes Laicos in hac Sacra-Untione perficienda.

Dices, Innocentius I. Ep. ad Decentium, explicans hæc Jacobi verba: Infirmatur quis, &c. dicit: Non est dubium, de fidelibus aegrotantibus intelligi debere, in sua, aut suorum necessitate inungendo. Et venerab. Beda in c. 5. Ep. S. Jacobi monet infirmos, ut Seniorum auctoritate curari se meminerint, neque ad juniores minusque doctos causam suæ imbecillitatis deferant: ergo. R. hæc duo testimonio sensu hæreticorum intellecta sibi contradicere; juxta primum enim quilibet fidelis est Extremæ-Uncionis Minister; juxta secundum seniores tantum sunt Ministri. Hæc ipsi conciliant, antequam ea nobis opponant. Sed, hoc præmisso, ad Innocentium, R. 1. cum Dom. Soto, quem plures sequuntur, intelligendum non esse de Unctione Sacramentali, sed de Christiano, & pio Ritu ad sanitatem corporis recuperandam, secundum morem hujus temporis, ut refert Auctor hic art. 1. in arg. s. c. de Solitariis Ægyptiacis, & de S. Genevivi. Hæc interpretatio est Dominici Soto, quam plures amplectuntur. Nec refert, quod postea loquatur de Unctione Sacramentali, dum statim subjungit: Cæterum illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Nihil enim obstat, quod in una periodo loquatur de Unctione Sacramentali, & in altera de non Sacramentali, cum id exigat amplitudo materię. Imò hæc verba sequentia probant, ipsum in prioribus non fuisse locutum de Unctione Sacramentali, alioquin ineptè adjectisset eam licere Episcopis, quam concessisset Laicis; aut non dixisset, eam licere Episcopis, cum liceat Presbyteris, sed, cum liceat ipsis Laicis.

R. 2. Juxta aliam explicationem, etiam bene probabilem, Bellarmii, Jansenii Grandensis, Estii, Sylvii, &c. Innocentium in prioribus verbis locutum fuisse de Unctione passiva, & non activa, & Tô inungendo intellexisse passivè, & non activè. Sic enim absolute positum sæpe habet significationem passivam; ut dum Virgilius Egl. dicit: Frigidus in pratis cantando (id est, dum cantatur) rumpitur anguis. Hanc interpretationem esse legitimam, colligitur. 1. Quia, si Innocentius in prioribus verbis dixisset Laicos esse Ministros hujus Sacramenti, non adjectisset in sequentibus, id licere Episcopis, quod licet Presbyteris; sed dixisset, id omnibus promissivè, & Episcopis, & Presbyteris, & Laicis licere. 2. Quia si inungendo sumeretur activè, & non passivè, sequeretur, quod infirmi possent se ipsos sacramen-

taliter ungere; dicit enim: In sua, aut suorum necessitate inungendo. Ad Bedam, R. ipsum ibi loqui de Confessione, ut patet ex his verbis: Causam suæ imbecillitatis referat; & merito consulit quantum ad hoc, accedendum esse ad seniores potiusquam ad juniores & minus doctos. Intellegit enim Beda textum Jacobi non solum de Extrema-Untione, sed etiam de Sacramento Pœnitentiæ, propter verba quæ sequuntur in Apostolo: Constitemini alterutrum peccata vestra. Undè hæc verba: Infirmatur quis in vobis, &c. interpretatur non solum de corporis, sed etiam de animæ infirmitate. At paulo post verba, quæ obijciuntur, dicit: Orent super eum ungentes oleo... Ecclesie consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato ungantur a Presbyteris, & oratione comitante sanentur.

Petes 1. Utrum quilibet Sacerdos possit hoc Sacramentum conferre? R. Potest quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, aut degradatus, validè conferre: non potest licitè, nisi sit Parochus, aut alter de ejus licentia.

Ratio 1. partis est, quia potestas validè conferendi hoc Sacramentum non inest Sacerdoti ratione jurisdictionis, licet hæc requiratur, ut licitè conferatur, sed ratione Ordinis: Non enim dixit S. Jacobus: inducat Parochum aut Episcopum, sed Presbyteros. Neque hoc Sacramentum exerceret per modum jurisdictionis, sicut Sacramentum Pœnitentiæ, quod idè requirit jurisdictionem in iudice. Ratio 2. partis est: quia ad Pastorem pertinet pascere oves, quod officium potissimum exerceret in administratione Sacramentum. Et idè B. p. nism, quantumvis necessarius, debet tamen extrà casum necessitatis ministrari a Parocho. Hinc Clementina de Privilegiis l. 5. tit. 7. c. 1. excommunicatur ipso facto excommunicatione Papæ reservata Religiosi, qui sine Patrochi licentia Clericis, aut Laicis Sacramentum Extremæ-Uncionis, vel Viatici ministrant, matrimonive solemnizant. Id tamen intellige secundum communem interpretationem contra Navarrum, extrà casum necessitatis; si enim Pastor esset absens, aut si præsens nollet conferre Sacramentum; posset alter quilibet Sacerdos, sive Sæcularis, sive Regularis, licitè & absque periculo censuræ, illud administrare: intentio enim Ecclesie fuit impedire, ne Regulares prætextu privilegiorum involarent in jura Pastorum, non verò fraudare fideles hoc salubri Sacramento, dum necessitas urget.

Petes 2. Quot requirantur Sacerdotes in administratione hujus Sacramenti? R. 1. diversam in hoc fuisse, & etiamnum esse Ecclesie disciplinam. Græci, teste Arcudio l. 5. concord. Allatio de consens. Ecclesie Orient. & Occident. c. 16. Goario in Euchologio Græcorum, & Simeone Thessalon. l. de Sacramentis, advocant septem Sacerdotes, aut saltem tres. Ecclesiam Latinam etiam plures olim adhibuisse, colligitur ex libro Sacramentorum S. Gregorii pag. 253. apud Menardum, ubi legitur: Multi enim Sacerdotes infirmos perungent insuper in quinque sensus. Item ex codice Rotaldi, & S. Remigii Rheimensis; ex Raynero, qui refert, Valdenses, hoc Sacramentum contempnisse, eò quod ad illius administrationem advocarentur plures Sacerdotes, quorum quisque pretium exigebat: unde dicebatur Sacramentum divinum: ex S. Th. l. 4. contr. Gent. cap. 73. ubi dicit: Quod hoc Sacramentum perfecta curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic Sacramento, quod multi Sacerdotes intersint, & quod oratio totius Ecclesie effectum hujus Sacramenti adjuvet: & ex S. Carolo, qui in Concilio Mediolanensi 4. p. 2. c. 6. admonet, ut ministratores Extremæ-Uncionem, quot commode potest, Presbyteros & Clericos advocet, qui ipsum ministrantem & precantem pietatis orationisque studio in eo ministerio adjuvent: ubi nota, plures Sacerdotes requiri, saltem a D. Th. & S. Carolo, non ut omnes Sacramentum administrarent, sed ut precibus suis ministrantem adjuvent.

R. (l. 2. 4. contr. gent. c. 73.) Absolute sufficere unum Sacerdotem ad collationem hujus Sacramenti. Prob. 1. ex Jure c. Questioit extrà, tit. 40. de verborum significationibus, ubi Alexandr. III. ait, quod Sacerdos, uno presente Clerico, & etiam solus potest infirmum ungere. Idem definit Benedictus XIV. feliciter regnans constit. Et si Pastoralis super Ritibus Græcorum §. 5. 2. Ex S. Th. cit. Si tamen, inquit, unus solus Presbyter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Ecclesie, cujus minister existit, & cujus personam gerit. 3. ex variis exemplis antiquis, S. Eugendi 6. sæculo, S. Mouræ a solo Prudentio Tricasino unctæ, & aliis apud Edmundum Martene. 4. Ex Rituali Romano Pauli V. & ex praxi totius Ecclesie Latinæ. Denique non est ratio, cur ad hoc Sacramentum, potiusquam ad cætera, non sufficiat unus Sacerdos.

Unum dumtaxat opponi potest, scilicet illud Jacobi: Inducat Presbyteros. Sed ut jam superius monui, id dictum est per Enallagen, seu mutationem numeri, quasi dixisset, aliquem ex Presbyteris, sicut solemus dicere non confiteri peccata Sacerdotibus, id est, alicui ex Sacerdotibus, quæ figura non est infrequens in Scriptura & Patribus. Sic Matth. 27. dicitur: La-

trones, qui crucifixi erant cum eo, improperebant ei, id est, unus ex latronibus, ut habetur Luc. 23. Similiter ibid. Illudebant autem ei & milites accedentes & acetum offerentes ei; & tamen id ab uno tantum factum narrat Matth. 27. & Marc. 15. Sic etiam Aug. Serm. 33. de diversis, nunc 324. scribit, mulierem detulisse infantem a S. Stephano resuscitatum ad Presbyteros baptizandum, id est, ad aliquem Presbyterorum. Similiter l. 3. de consensu Evang. c. 16. pluries. Vide Estium in Ep. Jacobi. Insuper, dato, Jacobum intellexisse plures Presbyteros, evinci non potest, eos requisivisse ad necessitatem Sacramenti, & non potius ad solemnitatem, uno scilicet conferente Sacramentum, aliis juvenibus & orantibus, ac quasi per manum illius ungentibus, eo ferè modo quo ad consecrationem Episcopi plures concurrunt, uno tantum consecrante secundum probabilem sententiam.

Petes 3. Utrum hoc Sacramentum a pluribus collatum sit validum? R. sub distinctione. Si unus ungat & alter formam proferat, est invalidum; quia, dum materia proxima Sacramenti est actio Ministri, debet ab eo determinari per formam, ut patet in Baptismo, Confirmatione, & aliis: idque colligitur ex verbis Jacobi, Orent super eum ungentes, quibus innuitur, eundem esse, qui ungit & qui orat, seu formam proferat. Atque ita definit laudatus Pontifex hodiernus in Constitutione superius citata. Quod si ritus contrarius legatur in quibusdam antiquis codicibus, ut quidam referunt; respondendum, vel hos codices esse mendosos, vel esse abusum, qui, inscia Ecclesia, apud aliquos irrepsit. Si verò, dum unus ungit unum sensum, proferendo formam huic Unctioni respondentem, alter similia, vel successivè ungat alterum sensum similiter cum parvula forma respondente, validum est Sacramentum; quia, cum constet pluribus materiis & formis partialibus, potest a pluribus validè confici, sicut contingit in Sacramento Eucharistiæ, si unus consecraret panem, & eo deficiente alter vinum. Hoc tamen est illicitum, quia est contra praxim Ecclesie, nisi forte in casu necessitatis, dum crederetur moriturus infirmus priusquam unus omnes Unctiones perfecisset.

ARTICULUS VI.

De subjecto Extremæ-Uncionis.

Dico 1. (Ibid. q. 32. art. 1. & 2. o.) Extrema-Unctio non debet conferri nisi infirmis, iisque periculose decumbentibus. Prob. 1. pars 1. ex illo Jacobi: Infirmatur quis in vobis. Et, Oratio fidei salvabit infirmum. 2. Ex Synodo Florent. & Trid. mox citandis. 3. Ex Patribus art. 1. laudatis. 4. Ex perpetua Ecclesie praxi. Ibid. art. 1. 5. Ratione; quia, quæ geruntur interius in Sacramentis, significantur per aliquid exterius, sicut ablutio inferior in Baptismo significatur per ablutionem exteriori; atqui Extrema-Unctio confertur per modum curationis interioris: ergo significari debet per curationem corporalem, quæ supponit infirmitatem. Si dicas, Pœnitentiam esse suscitationem exteriori, & tamen non significari per suscitationem exteriori, non enim pœnitens debet esse corporaliter mortuus; R. quod, quamvis Pœnitentia sit equidè suscitatio, non confertur tamen per modum suscitationis, sed per modum iudicii, quod etiam significatur exterius.

Oppones insuper praxim Græcorum, qui passim sanos unguunt, ut refertur Arcudius ipse natione Græcus l. 5. de Extrema-Untione, Allatus l. 3. de consensu Ecclesie Occid. & Orient. c. 15. & noster Goarius in notis ad Euchologium Græcorum. Respondet ipse Arcudius, hanc suæ gentis praxim, in quam acriter invehit, esse abusum, Sacris Litteris & Græcorum Scriptorum testimoniis contrarium, quem quorundam illiteratorum audacia & turpis lucri cupiditas invenerunt, ut reverà inuit ipsa forma, qua utuntur: Pater Sancte, Medice animarum & Corporum, sana servum suum hinc ab illa, quæ ipsum detinet, Corporis & animæ infirmitate. Respondent Recentiores post nostrum Goar, hanc Græcorum Unctionem non esse Sacramentalem, sed extemporalem; quia, quamvis fiat sub forma Sacramentali, Pater Sancte, medice, &c. ut supra; atamè ex adjunctis circumstantiis, atque ex intentione conferentium & suscipientium, non adhibetur ut Sacramentum, sed ut extemporale. Nec refert, etiam hanc Unctionem a quibusdam recentioribus Græcis vocari Sacramentum, vel enim sumunt Sacramentum in latiori significatione, vel erant in notione Sacramenti. Hæc Goarii Responsio eò verior videtur, quod Latini nunquam Græcos hac in parte reprehenderint.

Prob. 2. pars 1. Quia Tô Infirmatur & præsertim Tô Infirmum in textu Jacobi, juxta Interpretes, significant græcè deficientem & graviore morbo laborantem. 2. Ex Florentino in Decreto unionis. Hoc Sacramentum, inquit, nisi infirmo de cuius morte timeatur, dari non debet. Quæ verba ex Angelico Doctoris opus. 5. citato mutavit. Et ex Trid. sess. 14. c. 3. ubi ait: Declaratur etiam, esse hanc unctionem Infirmis adhibendam, il-

illis vero praesertim qui tam periculosè decumbant, ut in exitu...

Si petas, an post vel ante Viaticum sit conferendum? R. vi-

Attamen, hanc consuetudinem non fuisse generalem, evin-

Ceterum hoc 2. pars Conclusionis non sic est intelligenda,

Ex dictis colliges 1. hoc Sacramentum collatum sano, aut

Dubium est de muliere in ipso actuali partu periculosè la-

Dico 2. (Ibid. art. 3i et 4.) Neque pueris ante usum ratio-

Dices. Sunt capaces augmenti gratiae: ergo & hujus Sacra-

Inst. Potest erga illos verificari forma hæc Extremæ-Uncion-

Si intes. Juxta S. Th. suprâ q. 30. art. 1. o. hoc Sacramen-

Ex his colliges 1. periculosius loquendo, non esse conferen-

Colliges 3. pueros, qui utuntur ratione, esse hujus Sacra-

ARTICULUS VII.

De obligatione suscipiendi & administrandi Extremam Unctio-

Petes 1. Utrum hoc Sacramentum sit necessarium ad salutem?

R. 1. Non est vi suæ institutionis necessarium necessitate medi-

R. 2. Neque videtur necessarium necessitate precepti divini,

Petes 3. Utrum hoc Sacramentum sit iterabile? Non posse

Dixi: (Ibid.) Durante eodem infirmitatis statu & periculo,

se presumptionem ostenderet, qui illud negligeret, aut re-

Petes 2. Utrum Pastor teneatur hoc Sacramentum suis

Petes 3. Utrum hoc Sacramentum sit iterabile? Non posse

Petes 4. Quæ dispositio requiratur ad hujus Sacramenti

Quantum ad ceremonias & ritum administrandi hoc Sacra-